

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE S. MARTINI EVANGELIVM. Lucae. 12.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

POSTILLA F. IOANNIS FERY
IN DIE S. MARTI-
NI EVANGELIVM.
Lucæ. 12.

SInt lumbi vestri præcincti, & lucernæ ar-
dentes in manibus vestris, & vos similes
hominibus expectatibus Dominum su-
um quando reuertatur à nuptijs, vt cum ve-
nerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati
serui illi, quos cum venerit Dominus, inuene-
rit vigilantes. Amen dico vobis quod præcin-
get se & faciet illos discumbere, & transiens
ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigi-
lia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuene-
rit beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quo-
niam si sciret paterfamiliàs qua hora fur veni-
ret vigilaret vtiq; , & non fineret perfodi do-
mum suam. Et vos estote parati, quia qua hora
non putatis filius hominis veniet.

EODEM FESTO EPI-
STOLAE LOCO, LECTIO

Eccles. 40.

ECce sacerdos magnus qui in diebus suis pla-
cuit Deo, & inuentus est iustus, & in tem-
pore iracundiæ factus est reconciliatio. Nō
est inuentus similis illi, qui conseruauit legem ex-
celsum, & fuit in testamento cum illo, & fecit illum
crescere in plebem perfectam. Benedictionem om-
nium gentium dedit illi, & testamentum suum cō-
firmavit super caput eius. Agnouit eum in bene-
dictionibus suis & dedit illi hereditatem, & di-
misit

misi illi partē in tribus duodecim, & conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam in oculis eius. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi sacerdotium gentis & beatificauit illum in gloria, fungi sacerdotio & habere laudem in nomine suo. Offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odorem suauitatis.

SERMO VNICVS.

INter multa alia, quæ patrum nostrorum diligentiam, & conseruandæ posteritatis in vera fide studium indicant, meo quidem iudicio, non minimum est, quod iuxta Euangelij sermonem, admonitiones quæ pias, etiam cuique Ecclesiæ singulare, quod priuati patroni, exemplum ordinauerunt ac proposuerunt, eosque eorum ex numero, qui se Christi imitatores doctrina, vita, morteque ostenderunt ingenuos. Et hos patronos dixerunt, non vt homines à Christo ad sanctos retraherent, in sanctis idolatriam instituerent, Christoque æquarent (id quod nunc Ecclesiæ mendaciter atque iniquè affricatur) sed vt imprudentiores doctrinam pariter & exemplum habentes rectius, quæ regia sit via, cognoscerent, huic se confidentius committerent, ubi tot tantæque manifesta præcedentiū viderent vestigia: tū certius sibi eorū quos audacter sequerentur, beneuolentiam promitterent: denique etiam maiore spe ipsorum qui iam appulissent suffragijs portum optatum expectarent: Et hoc quidem creditibus magnopere commodauit, quanquam & Satan minimè quieuit, suumque semē inseruit, quemadmodum & in omnibus alijs semper fecit, facitque etiam nunc, vt etiam communis Prouerbij locum habeat: Illic satanam sacellum proximè extruere, ubi Dei templum sit. Atque hoc inde est, quod pastores & patres Ecclesiæ tam diu (proh dolor) dormitauerunt, qui ne nunc quidem, quanquam in extremo res versetur periculo, expurgisci volunt. Nullam, inquam, tot malorum causam video aliam, quantum ad homines, quam pastorum negligentiam. Iudiciū Dei semper excipio, quod haud dubiè maxime in hac re valet, iuxta Propheticā cōminationē: Ecce

Zach. 11. *ce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quaeret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet. Nunquid autem hac plurimos annos experta ecclesia didicit? Verū non nunc meum propositum est, quomodo iam, sed qua ratione olim in ecclesia vixerunt homines. Et quidem Patres nostri idem quod Euangelium habuerunt, legerunt, catarunt, scripserunt, predicauerunt, audierunt. Nihilominus tamen id quoq; cogitauerunt, quod superiore Dominica Paulus dixerat: Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formā nostrā. Ac hac ratione quoq; ecclesia vel vnum tantum in exemplum sumpsit, alia alium atq; alium. Ideoq; hos varios atq; diuersos proposuerūt, vt cui pusillanimitatis daretur occasio. Si enim omnibus ecclesijs vnus tantum prepositus fuisset patronus, cogitare homines imprudētes possent, exiguum admodum esse electorum numerū, ac dicere: si ita est, quis potest saluus fieri, sicque relabi? Verū cum tot sunt exempla quot ecclesiarū, oibus spes datur, etiam nū manū Dei nō esse abbreviatā. Atq; hac de festiuitatibus dicta sint, nunc porro etiā de D. Martino nōnihil audiamus. Patres nostri D. Martinum in patronum suum elegerunt, qui tamen vir virtutis suae specimen in Francia edidit. Et licuisset alia plura exēpla habere, sed excellens quoddam & egregium habere voluerunt, quod non vnius ciuitatis, aut ecclesiarū, sed totius ditionis ageretur negotiū, nec fefellerit eos electio. Etia si enim duplo plures essemus, omnibus his vnus tamē negotium faceretur. Atq; vtinam per omnem vitam nostram tandem aliquando eum, qui Martino primus fuit, gradum apprehendere possemus. Perquirantur oēs omnium historiae, non tamen iam inde ab Apostolorum temporibus, vnum aliquem facili inueniemus, qui autoritate, nomine, gloria atq; honore. Martino nostro comparandus sit. Verissimum enim est, quod hodie ecclesia de eo testata est, tot nationes partem aliquā sibi, pietatis studio, in Martino vindicare. Pannonia exultat genitrix tanti filij. Italia exultat alitrix tanti pueri. Et in his Gallia, quarum quæq; eum prefūle flagitat habere. Turoni corpus*

pus tenent. Nos quoq; in eo cum Gallia nostram partem tenemus, nobis enim veste pauperi diuinit, Christū ostēdit. Sed & Aegyptum & Græciam nomē illius percrebuit. Et quid aliorum de eo iudicia multis enumerō, ipsa facta qualis fuerit testantur. Quomodo? Nulla ecce ætas tam prona in vitia, quā iuuentus. Sed & iuuenis Martinus pius esse potuit. Deinde, nullum hominū genus militibus, aut crudelius, aut magis impiū. Et in his Martinus iustus fuit. Præterea in omnibus Ecclesiæ hostibus, Iuliano crudelior nemo, & sub hoc tamen Martinus fidei confessionem constāter tenuit. Quartō: nulla hæresis Arriana violentior, diuturniorq; fuit, quæ & reges, & Imperatores, & Episcopos, & Liberium Papam fascinauit, multum sanguinem fudit, horrendasque in orbe mutationes induxit: Martinus tamen in ea Catholicus perstitit. An nō hæc tibi videntur egregia esse exempla? Quam paucos hac tempestate eiusmodi inuenias. Eō igitur diligētius considerādus est Martinus, modo Catholicismus nobis cordi fuerit. Quia ergo in eius omnino mentionem incidi, quod reliquum est sermonis, in ipso complebo. Neque inutilem me insumere operam puto: eiusmodi enim eius exemplum est, vt quā plurimis illud infigi cupiam. Omnino enim me affectum video, quemadmodum Comicus ille, qui aliquantō fortuito viro bono conspecto: quam pauca, inquit, id genus exempla video, quā me noua perfundi intelligo lætitia, eiusmodi superesse exempla: atq; si vniuersitales essent, reuiuiscerem. Ita hīc quoque de Diuo Martino loquor. Vtique admodum pauca eius generis exempla supersunt. Merito recreat horum aspectus, merito viuere delectaret, si omnes tales essent. Sed adhuc peculiare quid de Martino audiamus, de quo hodie inter cetera hæc cecinimus. O virum ineffabile, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit. O beatū virum Antistitem nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit. Hanc vnicā Antiphonā considerandam vobis propono, quæ & ipsum nobis Martinū satis perspicuē describit, & quā nihil eius spiritus in terris sit, ostendit. Quatuor aut hīc innuuntur, egregia illa atq; præstātia, sed in terris rara, oēs tamē Christianos de-

Antiphona Martinus

- centia. Primum, nullo labore victum esse, hoc est nullo laborem refugisse, nullius laboris piguisse aut peritum fuisse: Id vero eiusmodi est, ut sit & per se prestans, & consequatur à paucis. Neque enim vehementer labores appetimus, quacumq; alia ratione nominis immortalitatem venantes. Et cui genti ea gravitate labor precipitur, atq; nobis, qui Christo nomen dedimus. An non Paulus sæpe ad laborem hortatur? Manus remissas, inquit, & soluta genua erigite, & rectos facite pedibus vestris. Et: Bonum facientes non deficiamus, dum tempus habemus operemur bonum. An non totam hanc vitam cursui in studio comparat, ubi de brabeo certatur? An non Petrus ait: Magis satagite, fratres, certam vocationem vestram, & electionem faciatis per bona opera? Hæc enim facientes, ait, non peccabitis aliquando. Atq; hæc omnibus in genere dicta sunt. Existimo autem hoc esse ad laborem incitare. Sed pastores & proceres Ecclesie adhuc seuerius, ut suum officium faciant, compelluntur. An non eiusmodi illis nomina Christus indidit, quæ laborem requirunt. Nusquam enim dominos eos, sed ubiq; Apostolos, Pastores, Legatos, vocat. An non eius verba sunt ad Apostolos? Quicumq; voluerit inter vos fieri maior, erit vester minister: & quicumq; voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Et: Ego posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albe sunt iam ad messem. Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Ego misi vos (non ad otium) sed metere? An non Paulus dicit: Labora sicut bonus miles Christi? Sollicitè cura probabilem teipsum exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Et prædica verbum, inlta oportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vtique & hoc est Episcopos atque animarum curatores, ad laborem adhortari. Sed quæ vtrobiq; luctatio? Quam paucos verò vtrobiq; tum etiam in præpositis inuenias, qui non vincantur labore, qui non fugiant, aut certè operando non fatigentur? Vulgus quicquid acerbum videtur, refugit: sine labore cælum appetit, quasi Christus abundè omnia satis fecisset. Tū etiā Ecclē-

aut fieri
fuerit labor.

Ecclē-

Ecclesiastici nostri aliud perferutati sunt compendium, quando maximā laboris partem inde voluūt, ipsi sibi retinentes & nomen commodū: Sed & alij quidem laborant, sed saepe isto vincuntur, & tædet. Quare ita? Nemo cognoscit, nemo cogitat, quid sit quod Christus dicat: Dignus est operarius cibo suo. Et quod Paulus: Labo- Matth. 10.
rantem agricolā oportet primum de fructibus accipere. 2. Tim. 2.

Atq; hæc Ecclesiæ cōditio. Quid autē de Martino legimus: Qui labore nō est victus, multo minus verō laborē fugit. An nō Martini exemplū sequi nos maximū Ecclesiæ adferret emolumentū? Labore cōstat Ecclesia, quæ per pastōrū negligentiam propē corrui. Quod si adhuc tandē aut ipsi laborarēt, aut fideles operarios instituerēt hisq; adstarēt, fortē instaurāda foret. Atq; hic nobis ipsis aggrediendū esset, q̄ in Martino prædicamus. Huic honorī aeterno ducitur apud Christianos oēs, quod labore vinci se nō permisit, imō ad finē vsq; in labore perstitit, pro se in omnium virtutum exercitio, in carnis castigatione, in pietate erga pauperes, in dandis eleemosynis: pro Ecclesia verō, docendo, consolando, exhortando, corripiendo. Quæ sanē hodie etiam immortalitatem nō minis in mundo mereri possent, ne dicam sempiternam apud Deum remunerationē. Et quid est, quod nostra, etiam si prælati, & opulenti rerum fuimus, nomina tam citō pereunt? Nempe nullum vel mediocre facinus operati sumus viuentes, nec Ecclesiæ, nec nobis quicquam præstitimus, ideo memoria nostra perit cum sonitu. Misericordes obliuiscuntur eius. Agite ergo fratres, non alienæ virtutes spectatores simus tantū: si enim vnquam aliquando operandi, operariosque instituendi, siue pro se quengq;, siue in commune, siue pro Ecclesia, tempus fuit, nunc certē maximē est. Videmus quid Satan moliatur, quā negligentia cladē Ecclesiæ importauerit: quoque maior nostra est negligentia, eō peritior Satanae diligentia: contra, quō nostra porro fuerit maior alacritas, eō minus ille efficiet. Hæc meditare ac cogita, quotiescunque Martini memoria inciderit, qui labore victus non est. Beatus ille seruus, quem cum venerit, ita inuenerit. Et hoc primum. Quid nunc porro? Nec morte vincendum. Hoc illo maius

est, maiorque requiritur fortitudo. Molestus quidem labor est, sed mortis periculum timorque acerbior. Inuenias qui in labore persistat immobilis, dum tamen labor est, verum accedete periculo, hic labitur. Sic Petro accidit. Non perinde labore atque crucis periculum formidauit: impigre Christum sequebatur, at in mortis periculo, negare ac detestare incipit. Sic multis post eum vsu venit in tentatione, qui strenue quidem laborauerunt, sed mortem & Crucem vincere non potuerunt. Martinus vero non modo labore, verumetiam morte victus non est. Atque hic quidem non faciles illi incubuisse labores videmus, quos saepe cum capitis periculo sustinuit. Periculum ex parentibus, quod se Ecclesiae tradidisset: periculum ex Iuliano, quod militiam eius declinaret: ex incredulis, quod idola eorum destrueret: ex Arrianis, quorum haeresin respiceret: ex Diabolo, cui tot animas surriperet: ex proprijs discipulis, qui gratiam donaque Dei inuiderent. Quibus rebus verus Pauli imitator fuit, bonum se pastorem ostendit, cui satis non est laborare ac pascere ubi securum est, verumetiam lupo irruente fugiendum esse non ducit. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Sic Paulus fecit cum ait: Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus uestris. Et: Ministri Christi sunt & ego. Sed hic demonstratione opus est. Ego quidem me ministrum Christi dicere non vereor, sed & talem esse me demonstrare possum. Alij verbis iactitent, ego ipso factor testis. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebraei sunt, & ego. Israelitae sunt, & ego. Ministri Christi sunt, & ego, ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudaeis quinque quadragenas una minus accepi, ter virginis caesus sum, semel lapidatus sum, ternaufragium feci, nocte & die in profundum maris fui: in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis, in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, In labore & aerumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis. In frigore & nuditate, praeter illa quae extrinsecus sunt instantia mea, quotidiana solitudo.

Ioan. 10.

2. Cor. 12.

2. Cor. 11.

4

citudo omnium Ecclesiarū. Quis infirmatur & ego non
 infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? Si glo-
 riarī oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus
 & pater Dñi nostri Iesu Christi, qui est benedictus in
 secula scit, quod non mentior, Damasci præpositus gen-
 tis Arethæ Regis custodiebat ciuitatem Damascenorū,
 vt me comprehenderet: & per fenestrā in sporta dimis-
 sus sum per murū, & sic effugi manus eius. An nō eiusdē
 animi fuisse Paulus & Martinus tibi videtur? His pasto-
 ribus stetit Ecclesia. Deū immortalem quā lōge inui-
 cem distamus. Nemo nunc laborare amplius vult, ne di-
 cam pati. Si enim laborē fugimus, cætera pertimescere
 quid mirum? Et quales tandem pastores sumus, quomo-
 do coram supremo pastore consistere poterimus? Quid
 respondebimus, vbi de ouibus reddenda est ratio? Hæc
 si quis rectē considerauerit, proculdubio timebit. Dil-
 gentiūs ergo veterum intuenda exempla sunt, modō
 Christiani, maximē Ecclesiæ ministri esse voluerimus.
 Obfirmatis animis opus est, non modō aduersus duros
 labores, verumetiam contra mortis horrore. Et quid de
 Martino legitur? Nec mori timuit. Hoc ipsum illum re-
 spicit, vt intelligamus eū nō modō alijs fidem fuisse pa-
 storem, verūm sibi etiam ingenuum extitisse Christia-
 num. Quid enim est alijs bonum esse, sibi verō ini-
 quum? si tamen possibile est alijs esse fidelem, qui si-
 bi ipsi iniquus. Neque enim frustra dictum est: Qui sibi
 malus, cui bonus? Verū tamen inuenias, qui magna fide
 laborent, doceant, curent quidem, sed impiē viuant, &
 veluti æs resonans, sibi sunt inutiles, quomodo & Chri-
 stus de quibusdam loquens, ait: Quod dicunt vobis, fa-
 cite: secundum opera autem illorum nolite facere. An
 fortē hos promptos ad mortem arbitraris? Qui potest
 non timere mortem, qui in peccatis viuit: O mors, quā
 amara est memoria tua. Hic verō mortem quod timeat
 non habet, qui in Christum credit, bonam conscien-
 tiam fouet. Si ergo Martinus mortem non timuit, hoc
 ipso demonstratū est, quod fide vitāq; ingenuus mini-
 ster Christi fuerit. Et hoc tertium. Quartō: Nec viuere
 recusauit. Id quod perfectum consensum voluntatis e-
 ius cum Dei beneplacito ostendit. Iudicium est magni
 cuius-

Matth. 23

nō. mortem quod
 timet

4

Phili.

cuiusdam amoris erga fratres atq; ouiculas. In terris nihil præter aduersa, labores, pericula idq; genus alia habuerat, iamq; metâ accesserat, vt nō modo requie, verū etiam mercede frueretur proximè. Paratus tñ est, rursus inchoare, Deo si id fuisset visum: nō recuso labore. Hoc demū piè precari est: Fiat volūtas tua. Atq; hic ille Paulinus animus est. Cupio dissolui, inquit ille & esse eum Christo. Et Christus mihi viuere est & mori lucrū. An igitur hæc Antiphona pijs mētibus abūdè satis quod meditentur, indicare nō vldetur? O festā diem Christianis oībus dignā, qua his cogitationib⁹ occupamur. Et quid est, quod nunquā fere quā hoc ipso tēpore magis infanimus crapulis? Sed hæc nostra in diuos diuorumq; vitas intētio est. An autē hoc non est ridere & diuos & vniuersam Ecclesiā? Eō igitur diligētius in Martini exemplum respiciamus, si modò vt suos nos apud Deum cognoscat, volumus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE PRÆSENTATIONIS MARIAE, IN TEM- plum Euangelium. Math. 1.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahā. Abrahā genuit Isāac. Isāac autem genuit Iacob. Iacob autē genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autē genuit Esrom. Esrom autē genuit Aram. Aram autē genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naason. Naason autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raehab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regē. Dauid autem rex genuit Salomonem, ex ea qua fuit Vriā. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autē genuit

nuit